

68. Sed & hinc ne magno veritatis detrimento errorem non ferendum erremus, ad duo cumprimis animum intendamus.

69. Quorum primum est, communicationem hinc non recipi, alioquin, sicuti Christus secundum humanam omnipotens, sic secundum divinam naturam mortuus diceretur, quod vel solo effatu esset absurdum. Ecce manifestam rationem: Mors imperfectionis & impotentiae insignis est argumentum, quae in Deitatem nequaquam cadere potest, propter omnimodam perfectitudinem tam essentiae quam potentiae, potentiae puta activae non passivae, quae potius est impotentia quam potentia, quod praesupponat carentiam & defectum.

70. Alterum locum hinc habere locutiones abstractivas sine resolutione vel ad alteram tantum naturam restrictione. Quae ut recte dixeris, Christus Deus & homo est omnipotens. Ita non minus verè dixeris. Caro Christi est omnipotens.

71. Et numerus capitum communicationis idiomatum ita explicatus esto, in quorum ordine constituendo diversas viro um etiam magnae auctoritatis reperire licet sententias.

72. Quem sicuti si quis imitari velit, prohibere non possumus, ita nos eum (salva tamen aliorum egregia auctoritate) nullatenus jam sequemur, retenturi quam enumeravimus capitum dispositionem.

73. Atque ita quod ductu vocatuque Dei Opt. Max. de hypostatica duarum in Christo naturarum unione, divinorumque idiomatum communicatione intendimus, eisdem gratia breviter finimus.

74. Quod si quis vitio nobis vertat, nam admodum ille inconsulto & indiscusse agat: cui enim parva est manus, simpliciter comprehendit lapillum nobilem, nihil obstante, quod qui majorem habeat, melius fortasse comprehendat.

75. Quapropter quicquid etiam ille dicat, nihil ad nos attineat. Enimvero non integrum commentarium aut prolixiore in aliquam orationem texere, sed theses neque multas neque prolixas proponere animus erat, in quibus qui ingenii sui vires periclitatum & nobis gratificatum vellet, deprehenderet omni procul dubio quod agat, cum mentem nostram satis superque de iis exposuerimus, quae ut gravissima sunt, ita & cujusvis attentionem & postulabunt & merebuntur. Quod

Christus Jesus Deus homo bene feliciterque
vertat.



EXPLICATIO

ἐλεγκτικῆ

Evangelii Domin. I I. Adventus.

Quam

P R E S I D E

Dn.

JOHANNES GERHARDO
DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO

Suo

Patrono, Favourite & Praeceptore multis nominibus suscipiendo

Ad disputandum propositis

STATIUS FABRICIUS
Mindensis.

Ad 7. Iduum Decembris.

ANNO M. DC. XVI.

JENAE

Typis TOBIAE STEINMANNI.



EVANGELIUM
DOMINICA II. ADVENTUS.

Christo duce & auspice
Christo.

THESIS I.

IN manus sumturi Evangelium
Domin. II. Adventus non malè operam positu-
ri sumus, si id ipsum in certas dispescamus par-
tes, uti quæ illa sint, quæ mentem hic no-
stram perficiant, in ipso statim limine cognosca-
tur.

1. Quod non incommodè fieri existimamus, si 1. de ultimo
Christi adventu Prophetiam. 2. Consolationem. 3. Præpara-
tionem ad adventum Salvatoris ad veritatem exigamus, & de
quibus inter nos & adversarios quosdam controvertitur, quæstio-
nes unicuique parti subnectamus. His etenim cumprimis in-
cumbendum piarum literarum Studiosis, qui in hanc discip^linam
& dederunt operam diligentem & daturi sunt amplius, nisi æta-
tem & vigilias miserè habuisse & pænè dixerim nequiter collo-
casse videri velint.

3. Quippe non satis est, scire te quæ vera sint, nisi simul etiam
falsa refutare possis, præsertim si pastor sis addendus gregi Domini:
oves enim tuas parùm vel certè non satis feliciter tueberis, nisi lu-
pos & quæ reliqua illis infesta sunt animalia propulsare didiceris.

4. Quòd cum non tantum verum, sed etiam immorum sit,
quòd dixi, breviter exequamur: non etenim animus est, pluribus
quod præ manibus habemus expedire, nisi quando id ita necessum
est, vel ob rei ipsius conditionem, vel ob prava quorundam judicia.

A 2

DE

EVANGELIUM
DOMINICA II. ADVENTUS.
Christo duce & auspice
Christo.
THESIS I.
IN manus sumturi Evangelium
Domin. II. Adventus non malè operam positu-
ri sumus, si id ipsum in certas dispescamus par-
tes, uti quæ illa sint, quæ mentem hic no-
stram perficiant, in ipso statim limine cognosca-
tur.
1. Quod non incommodè fieri existimamus, si 1. de ultimo
Christi adventu Prophetiam. 2. Consolationem. 3. Præpara-
tionem ad adventum Salvatoris ad veritatem exigamus, & de
quibus inter nos & adversarios quosdam controvertitur, quæstio-
nes unicuique parti subnectamus. His etenim cumprimis in-
cumbendum piarum literarum Studiosis, qui in hanc discip^linam
& dederunt operam diligentem & daturi sunt amplius, nisi æta-
tem & vigilias miserè habuisse & pænè dixerim nequiter collo-
casse videri velint.
3. Quippe non satis est, scire te quæ vera sint, nisi simul etiam
falsa refutare possis, præsertim si pastor sis addendus gregi Domini:
oves enim tuas parùm vel certè non satis feliciter tueberis, nisi lu-
pos & quæ reliqua illis infesta sunt animalia propulsare didiceris.
4. Quòd cum non tantum verum, sed etiam immorum sit,
quòd dixi, breviter exequamur: non etenim animus est, pluribus
quod præ manibus habemus expedire, nisi quando id ita necessum
est, vel ob rei ipsius conditionem, vel ob prava quorundam judicia.



426335

De primo.

5. Postquam ea dixerat Salvator, quæ excidium Hierosolymitanum spectabant, desiderium in se concitavit admonendi totum orbem de suo ad iudicium adventu, omni procul dubio ut prædictio exultationem ignorantiae ab hominibus tolleret, & ut præcedens contestatio iustam faceret sequentem poenam: Misericordiae enim est mandatis prævenire periculum. Neque vult quempiam perire, qui omnibus monstrat perditionis adventum, *ut auctor imperfecti eleganter loquitur.*

6. Prædictio autem illa consistit in duobus. 1. in signis adventum Christi infallibiliter præcessuris. 2. adventu ipso.

7. Circa signorum considerationem in discrepantes itur opiniones, quæ sunt in diversis diversissimæ, ut quorum sententia hic obtineat, facillimè in dubium vocari possit, & sanè vocatum fuit à plurimis etiam doctissimis, uti paulò post id evidens erit.

8. Signa textu accurata mentis consideratione inspecto deprehendimus in cælo, terra & mari. *v. s.*

9. Signa cæli conspiciuntur in Sole, Luna & stellis, *ibidem.*

10. Signa Solis *D. Hieron.* ita interpretatur, ut obscurandum illum dicat, non diminutione luminis, sed ad Christi comparationem, eo videlicet tempore, quo è cælo descenderit. *Chrysost.* (inquit) Sol obscurabitur, non quia destruetur, sed quia luce adventus Christi superabitur. In quorum opinionem abeunt *Euthym.* & *Theophyl.* Sol (inquit) obscurabitur, non disparsens, sed superatus lumine adventus Christi, cum non erit nox, sed apparebit Sol iustitiæ. *Beda* in hoc caput Lucae, apparente (ait) veræ lucis gloria omnia mundi lumina tenebris umbrisque comparantur. Idem sentit *Aug. sermon. 130.* de tempore: Tanta erit eminentia splendoris in Christo, ut etiam clarissima mundi luminaria præ fulgore luminis divini abscondantur.

11. Alii aliam adducunt interpretationem videlicet non quidem revera esse obscurandum Solem, verum hoc loquendi modo mœstitiæ & calamitates illius temporis indicari, siquidem mœsticia, angor & calamitas soleant nomine caliginis & tenebrarum compluries accipi, *teste Gregor. in Iobi c. 18.* Ideoque quando dicatur Solem obscurandum & Lunam & stellas, significetur in summis dolo-

dolorum mœstitiæque tenebris versaturos omnes, perinde ac si Sol, Luna & stellæ nihil luminis mortalibus amplius sint præbituræ.

12. Duæ hæc explicationes *Sebast. Barrad. tomo 3. commentariorum in concordiam & historiam 4. Evangelistarum* non probantur. Non *Prima*, quia Sol & Luna lumine carebunt, antequam Christus è cælo descendat, ut signum iudicii jam adfuturi præbeant: non ergo rectè dicantur obscurari ad Christi comparationem. Non *secunda*, quia si vera sit, nullum in Sole signum fore iudicii, splendorem enim illum habiturum, lunamque similiter & stellas, solùm verò obscuranda esse, quia hominibus omnia tenebrosa & mœsta sint apparitura.

13. Ipse autem *Barrad.* opinatur Solem obscurari posse velut in passione factum referat. *Areopagita*, nempe subiecta miraculosè Lunam, vel multis densisque nubibus interpositis, vel luce penitus à Deo demta. Hos modos etiam recenset *Carthusian. in 24. c. Matthæi.* obscurabitur (ait) Sol & Luna, vel quia divinam virtute suo lumine privabuntur: vel, quod probabilius sonat, quia aliqua corpora opaca interponentur inter ea & terram, & fortè Luna supponetur Soli. Sicut in passione factum fuit secundum *Dionysium Areopagitam.* Sic *Carthusian. Abulensis* etiam in *Matth. 24. c. quaestione 155.* quatuor modis putat fieri posse Lunæ & Solis obscuracionem. *Primo* per subtractionem productionis radiorum: ita ut non mittant ad nos radios. *Secundo* per interpositionem corporis alicujus opaci. *Tertio* per subtractionem lucis, ita ut eo tempore non sint corpora luminosa. *Quarto* per Eclipsin. Ex quibus modis *Abulensi* secundus præ reliquis placet, ut scilicet interjectis nubibus vel aliis corporibus densis Sol & Luna tenebrescant. Idem modus placuit etiam *Carthusiano, Lyrano & Barradio.* *Cajetan.* verò in *Marci c. 13.* existimat, Solem obscurandum absque Eclipsi & nubibus. Et de Luna ad illa verba: *Luna non dabit lumen suum.* Non dicit (ait) non habebit lumen suum, quia similiter absque Eclipsi & nubibus subtrahetur splendor ejus &c. Idem *Cajetan. in Matth. 24. c. Luna non dabit lumen suum:* Hinc significatur, quod Luna habens lumen suum, non dabit illud, ut intelligamus, quod non loquatur de Eclipsi, sed de miraculo, quia in Eclipsi Luna non habet lumen. De Sole (inquit) non intelligo per interpositionem Lunæ obscurandum,

stium, sed miraculosa obscuracione. Unde colligitur, neq; etiam
cliter colligi potest, Solem secundum *Cajetanum* splendorem qui-
dem habiturum, sed non daturum, itemque Lunam habituram
tunc lucem, sed hominibus non exhibituram, nullo penitus opaco
obitante corpore, eò quod Deus impediturus sit lucis fluxum,
sublato nimirum concursu ad emittendum splendorem. Quem-
admodum enim (inquit ille) in Babylonica fornace cursum suum
igni abstulit Deus, ne sanctos adureret: sic extremo tempore Soli
& Lunæ concursum auferet, ne lucem in terras emittant. Dies nox
erit, Solis luce aërem minimè illustrante, nox erit obscurissima
stellarum Lunæque carens lumine. Nam interdiu Sol obscurabi-
tur, noctu Lunæ atque Stellæ. Sic illi arbitrantur.

14. Nobis, quia Scripturam non habemus præviam, neque
enendicata alicujus autoritate, neque Tyrannicis edictis opus est.
Dicimus igitur obscuracionem certissimam nobis esse & incertis-
simam: certissimam, quia certissimè obtinget: incertissimam,
quia an ad Christi operationem, an respectu mortificiæ, an per in-
terpositionem corporis alicujus opaci, an per miraculosam obscu-
racionem, vel alio aliquo modo fieri debeat, ex Scripturis non di-
dicimus. Itaque propositum nobis non est, de accurata modi in
hac disputatione scientia quasi conflictari ac decertare.

15. Sicuti neque de hoc adeò erimus solliciti, quanto tempo-
ris spacio tenebræ, de quibus diximus, sint duraturæ? Quamvis
non abs re fortassean erit, aliorum hac de re opiniones paucis at-
tigisse. *Abulensis questione 16.* Dicendum (inquit) quod non sit cre-
dendum, quod durent per duos aut tres dies. In causam adfert:
Nam hoc induceret periculum omnibus viventibus & alteraren-
tur dispositione pessima & non vitali, omnia quæ vivunt, & ex
quibus vivimus &c. Concludit, erit tanti temporis duratio, ut
credatur esse signum rei maximæ: & tamen non destruat viventia,
hoc tempus satis est trium aut quatuor horarum, quia tunc per
omnes terras poterit manifestè videri. Hæc *Abulensis*. Confirma-
tur opinio ex Eclipsi Solis, quæ Domino & Salvatore nostro cru-
ci affixo facta est. Quemadmodum tunc Sol obscuratus est, à
sexta hora usque ad nonam, hoc est, per horas tres: sic in judicio
tot horis obscurari satis erit. Juxta hanc sententiam: Sol & Luna
per tres vel quatuor horas carerent lumine, postea radios iterum
in.

in terras effunderent, *Barradius* ait, verisimilius esse, per plures ho-
ras caliginem duraturam, imò per plures dies. Nonne par (inquit
ille) est credere, tenebras illas extremi horrendiq; temporis diu-
tius duraturas, quàm tenebras, quib. oppressa est Ægyptus, de qui-
bus Exodi 10. v. 21. 22. 23. Opinemur (dicit) duraturas illas tene-
bras per aliquot dies, fortè usq; ad ignis incendium. Existimat iti-
dem *Barradius*, non fore tenebras palpabiles tamq; crassas, quam il-
læ fuerunt in Ægypto, quæ & motu & aspectu privabant homines.

16. Quorum opinionibus si quis accedere volet, sicuti pro-
hibere nequimus, sic illos de re dubia ex conjecturis suis dubi-
tante nimis statuente nullatenus sequemur. Neque debet il-
lorum incertitudo nobis certi aliquid persuadere, quare illos mis-
sos facimus, & ad stellas progredimur.

17. Describuntur illæ nobis à casu *Matth. 24. v. 29. Marc. 13. v.*
25. Qualis autem futurus sit ille casus, de facili in dubium cadere
potest. *Chrysof.* intelligendum eum putat absque metaphora hoc
modo: Stellæ revera ex cælo cadent, quia post judicium nulla erit
nox, in qua luceant. Stellæ (inquit) cadent, quis enim usus ipsa-
rum erit nullâ existente nocte. Et *Euthym.* Stellæ cadent tanquam
nulli amplius usui futuræ: nulla enim tunc erit nox. Quibus
verbis *Chrysof.* & *Euthym.* innuunt, ita casuras esse stellas, ut esse de-
sinant, atque aboleantur penitus, quia post judicium nulli futuræ
sint usui in mundo. In contrarium verò pugnat *Barradius* &
putat Astrologis hac in re credendum esse, qui tantæ magnitudi-
nis stellas esse sentiant, ut ne duas quidem aut unam capere terra
possit. Quod si verò terra illas non possit capere, si cælo infixæ
corruptionis expertes sint, in terram non cadent. Ad argumen-
tum *Chrysofomi* & *Euthymii* responderet, astra post judicium fore
omniò fulgida, adeò quidem, ut nec Lunæ nec Solis splendore
possint deficere, usuiq; futura maximo, ornamento videlicet cæ-
lorum. Non cadent ergò (inquit) astra, sed cader astrorum lux,
quia non fulgebit. Idque significare putat metaphoricum illum
dicendi modum, *stellæ cadent de cælo*, hoc est, non micabunt in cælo,
ac si cecidissent. Unde *Joelu 2. vers. 10. & 3. vers. 15.* *stellæ reverten-
tunt splendorem suum*, dicatur. Ita *August. lib. 20 de civitate cap. 24.* non
judicat improbabilem esse opinionem, stellas de cælo revera esse
casuras, sed tamen probabilius arbitratur, metaphoricam esse locu-
tionem,

tionem, quā significetur inflammatae exhalationes stellis similes & fulgura ex aëre demittenda.

18. *Augustin. lib. 10. super Luc. p. 151.* & alii ex veteribus allegoricè casum stellarum sicuti & reliqua signa accipienda esse arbitrantur, ut per stellas præcipuos doctores in errores decedentes, per Lunam Ecclesiam scandalis & persecutionibus obscurandam, per Solem, Solem justitiæ, Christum variis falsorum Doctorum tenebris obtenebrandum interpretentur.

19. In quibus conciliandis non visum est periclitari ingenii vires, quod hoc opus magis arduum esse judicem, quam ut elaboratio illius mihi comperat. Itaque qualitatem casus stellarum transgredimur, certitudinem profitemur. Illi, quibus veritas *ὁ ἐστὶ λόγος θεοῦ* cordi est, uti necesse est esse omnibus, à nobis non flagrabunt, quod Scripturæ non expresserunt.

20. Cæli igitur signis, pro eo atque res & tempus tulit, perquisitis, ad signa in terra & mari, insolitos videlicet terræ motus & violentas maris turbationes, anxietatem gentium, quam Pagninus coarctationem interpretatur, & consilii inopiam inducentes, progredimur v. 25.

21. *συνοχὴν ἰβνῶν* Beda in explicatione hujus capituli ait fore tribulationem illam magnam, quæ tempore Antichristi futura sit. Quod summisse putatur ex *Augustino Epistola 80.* Verum ad illud tempus pertinere anxietatem gentium, quo Sol obscurabitur & luna & stellæ ex ipso contextu vel oculis pateat.

22. Tanta igitur erit anxietas gentium, ut confusi, perplexi, consilii inopes, quò se vertant, aut quid agant, nesciant, tum propter obscuritatem siderum, & propter fulgura, stellasq; de cælo cadentes, tum propter horrendum fluctuum tumultum, insolitam penitus agitationem, & sonitum stupendum. Quæ anxietatem efficient omnibus omninò hominibus, bonis ob expectatum liberationis desiderium, cum primis autem impiis ob impendens æterni ignis supplicium. Sicut avis ex cavea emissa liberè pervolat aërem amœnaque nemora, verum si laqueum incidat, summopere premitur & coarctatur: sic impius nunc nulla mandatorum observantiâ & timore adventuri judicii inclusus, nullis catenis constrictus, quacunquē vult vagatur, ac
cum

cum anxietate hac exorta dies ille instar laquei advenerit *vers. 39:* illaqueabitur miser, premetur, coangustabitur maximè, & arescet præ timore & expectatione illorum scil. malorum, quæ certo superventura sunt orbi. Hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia: subitus patens horrendū chaos inferni: de super iratus iudex, intus urens conscientia, foris ardens mundus, uti *Anselm. in lib. de miseria hominis* loquitur. Mare (*sic Theophyl.*) maximis sonis resonabit & erit cōmotio ac turbatio, ita, ut homines extabescant à solo timore & expectatione eorum, quæ venient super orbem, &c.

23. Neque mirum profecto si homines exanimentur, si quidem adeò horribilia erunt temporis illius signa, ut etiam ipsas cælorum virtutes terrere posse videantur v. 26.

24. Per *δυνάμεις ἑραυῶν* *Cajetan.* putat indigitari ipsas cælorum vires sive potestates corporum cælestium, quæ extremo illo tempore movebuntur. Mutabuntur enim (*inquit*) potentiæ activæ cælestium corporum à solitis actionibus, &c. *Iansen.* etiam arbitratur virtutes cælorum significare sidera orania & astra, quæ in sacris literis militia cæli & virtutes, hoc est, exercitus cælorum appellantur.

25. Verum cum de stellis, jam antè dixerat Salvator verba hæc: *δυνάμεις τῶν ἑραυῶν σαλευθήσονται*, id est, stellæ concutientur, prædictam explicationem non facile patientur, majus siquidem esse cadere quam concuti quis negaverit?

26. Probabilior igitur putabitur sententia *Hieronymi*, qui per virtutes cælorum putat Angelos intelligi. Angeli cælorum (*inquit ille*) Christi judicis comparatione in tenebras reputabuntur. *Chrysostomus* virtutes cælorum identidem per angelos interpretatur, qui judicii tempore admirationis motu sint commovendi. Mirabuntur (*sic ille*) videntes universa commutari, conservos rationem vitæ referre, orbem totum terribili assistentem tribunali, atque omnes qui ab Adam ad adventum usque illum facti sunt, rationes operum reddentes. In eandem propendent sententiam *Euthymius & Theophylactus, Augustinus serm. 130. de tempore:* commovendos ait timore quodam reverentiali. *Chrysost. tom. 3. de cruce & latrone:* De Angelis (*inquit*) dicit Dominus, tremor enim illos apprehendet & timor magnus, quia tunc tam terribile erit iudicium illud, ut ab Angelis timeatur.

27. Queritur autem, an ante iudicium, an verò in ipso iudicio con-

cio concuti debeant? In iudicio *Chrysostomus*, ut visum est, & alii concutiendos esse arbitrantur. Verum verisimilius est commo- vendos ad facienda insolita opera, ut cadentes stellas, fulgura, co- nitrui, ventos, tempestates, & similia ante iudicium. Tremor autē ille non timoris, sed admirationis erit, *juxta Chrysostomum & juxta illud Gregorii ad verba Iobi 26. v. 11. Columnae caeli contremiscunt & pa- vent ad nutum eius. Ipse (inquit) virtutes caelestium, quae Deum con- spiciunt in ipsa sua contemplatione contremiscunt, sed idem tre- mor ne eis poenalis sit, non timoris est, sed admirationis.*

28. Diximus in prima hac parte perpendenda esse signa & ipsum Christi adventum. Signa paucis vidimus, jam adventum ipsum breviter perstringamus: Hic enim cum piis pariter & im- piis aeternitatem decreturus sit, illis beatam in caelis, his verò cru- ciabilem apud inferos aequissimum omninò erit, ut de noticia ejus participemus.

29. Erit igitur ille actus filii Dei & hominis, quo in consum- matione mundi in gloria & maiestate Patris redibit, & omnes ho- mines, qui denati fuerunt ab exordio mundi ad finem usque re- suscitabit, in vivis quos deprehendet, in momento mutabit & ante suum tribunal sistet, ut de omnibus consiliis, studiis, actioni- bus & cogitationibus rationem reddant; & de omnibus senten- tiam feret, impios cum Diabolis abiciens in aeternas poenas, pios còtra ad sese assumens, ut cū Angelis & S. S. Triade aeterna felicitate & gloria immarcescibili perfruantur *Mat. 25. v. 32, 34. Act. 17. 31. Rom. 3. v. 6. 2. Cor. 5. v. 10. Apoc. 20. v. 12.*

30. Ex quibus quis iudex futurus sit, liquidum est, *Filius videl. hominis v. 27.* Hic iudex est 1. Justus, quia iustissimè de omnibus sententiam feret. 2. Fortis, quia nemo poterit ei resistere. 3. Pati- ens, quia peccantes tollerat & expectat, ut ad meliorem frugem redeant. Iudicabit itaque Filius solus aspeatabiliter & ratione executionis, tota autem Trinitas inaspeatabiliter & ratione de- creti.

31. Competit autem hoc iudicium filio hominis iure qua- druplici. 1. Quia aequum est, iudicem hominum esse hominem; Ut ab hominibus iudicandis oculis corporeis videatur. Hinc *Aug. serm. 64. de verbis Domini: Ita (inquit) reatum erat, ut iudican- di iudicè viderent, 2. Aequum est, ut qui redemit, ipse etiam iudicet,* qui

qui legem dedit, ipse rationem repositat. 3. Aequum est, ut qui Betlehemi in paupertate natus, in Aegyptum puer fugatus, à civi- bus suis contemptim habitus, à Pilato flagris caesus & tandem in- crucem actus & iudicatus est, iudicium exerceat. Unde *Augustin. serm. 13. in Iohan.* Forma illa erit iudex, quae stetit sub iudice, illa iudicabit, quae iudicata est. 4. Aequum est, ut cui Pater iudicia- riam potestatem dedit, ipse etiam iudicet, & quia Deus, supremum enim iudicium, supremam postulat auctoritatem ac potestatem. Et quia homo, quia ita collocatus est ad dextram Patris.

32. Quomodo autem iudex hic venturus sit, textus itidem expedit. 1. Verè & visibiliter *vers. 27. Matth. 24. v. 30. Ecce venit in nu- bibus caeli & videbit eum omnis oculus eorum, qui cum transfixerunt Apoc. 1. v. 7.* Videbunt igitur venientem Christum omnes ho- mines tum probi tum improbi, visu tamen diversimodo, iusti non solum quo ad humanitatem, sed etiam quo ad divinitatem oculis (puta) fidei, impii verò quo ad humanam non verò divinam na- turam.

33. 2. Veniet cum minimè expectabitur, *munda in summa se- curitate stertente v. 35. Matth. 24. v. 38. Marc. 13. v. 36. ut laqueum supervo- niet in omnes, qui habitant in superficie totius terrae v. 35.* Quod etiam similitudine a fure desumpta, multis in locis Spiritus S. in *Mac. 24. v. 42. Luc. 12. v. 39. 1. Thess. 5. v. 2. 2. Pet. 3. v. 10. Apoc. 3. v. 3 & 16. v. 15.*

34. 3. Apparebit in nube caeli *v. 27. Mat. 24. v. 30. & 26. v. 64. Marc. 13. v. 26. Apoc. 1. v. 7. Et pii per aëre ipsum in nubibus ad occursum Domini sui rapiuntur. 1. Thess. 4. v. 17. Neque quinquam moveat, quod Matth. cap. 24. v. 30. Salvatorem dicat venturum in nubibus. Vel enim Lucas nu- mero singulari pro numero multitudinis usus est. Vel dicendum Dominum in nube unà descensurum, sed multis aliis nubibus eum circumdantibus divinae maiestatis ostendendae causa.*

35. 4. Veniet cum potentia & gloria multa *v. 27. Matth. 24. v. 30. & 25. v. 31. Dan. 7. v. 14, non emendicata sed propria stipatus multitu- dine Angelorum Matth. 16. v. 27. & 25. v. 31. Daniel. 7. v. 10. 2. Thess. 1. v. 7. Apoc. 5. v. 12.* Dicitur autem filius hominis venturus, cum poten- tia & gloria multa ad distinctionem huius adventus à primo. Ibi venit humilis & contemptus, hic veniet sublimis & gloriosus. Ibi venit a sino insidens, hic veniet nubibus vectus. Ibi venit discipu-

lorum inermium turba circumdatus, hic veniet angelis comitatus. Ibi venit iudicandus, hic veniet iudicaturus.

36. 5. Apparebit in igne cum procedente & turbine obvia omnia inflammante inhorribili tempestate & fragore tonitruum & fulminum vehementissimo Dan. 7. v. 9. Psal. 97. v. 3. Esa. 66. v. 15. quo caelum & terra soluta liquefcent, & omnes creaturae rationis expertes, conflagrabit Psal. 102. v. 27. 28. Esa. 57. v. 6. Eccles. 18. v. 30. 2. Pet. 3. v. 7. 10. 12. Apoc. 20. v. 11. ita ut caelum novum & terra nova futura sint, 2. Pet. 3. v. 13. Esa. 65. v. 17. & 66. v. 22. Apoc. 21. v. 1. Veniet autem hoc, quem diximus, modo, non necessitate nisi consequentiae, sed imperio propalam ostendens se Dominum esse omnium creaturarum; & *πατερων* *εξουσιαν* Matth. 18. v. 18. *καὶ δὲ πατρὶν* *τῶν Θεῶν* Luc. 22. v. 69. sibi, qua filius hominis scilicet est, datam esse.

37. Tantam igitur maiestate quia venturus est iudex, impii ad eius adventum non possunt non exhorrescere Matth. 22. v. 12. Esa. 45. v. 16. Sap. 5. v. 2. Pii vero contra eum non possunt non impense praestolari Sap. 5. v. 1. erigere & attollere capita sua v. 28. quia appropinquat eorum redemptio, ibidem.

38. Quod non ita debet intelligi quali vivi saltem sint sistendi ante tribunal, verum omnes omnino homines qui fuerunt, iam existunt, & futuri sunt. Et licet impii iam sint iudicati & condemnati iusto Dei decreto & sententia Ioh. 3. v. 18. expressa; tamen iudicabuntur adhuc cum diabolis in die novissimo manifestatione iudicii Dei seu promulgatione sententiae definitivae. Ideoque nemo impiorum opinabitur se iudicium hoc effugiturum: ipsis enim peccatis veluti catenis peccator constringitur, dum his fuerit constrictus, effugere supplicium nequit, Unde Chrysostom. hom. 46. ad populum inquit: Nullus eorum qui haec peccata non dissolvit illuc migrans poenas effugere poterit, sed sicut ex terrenis carceribus cum catenis ad tribunal adducuntur: ita omnes anime cum hinc migraverint, variis peccatorum catenis circumdatae ad tremendum aguntur tribunal. Omnes igitur, licet impie id negent Saducaei, & impios & pios adhuc dormientes in sepulchris resuscitabit Iohan. 5. v. 25. 1. Cor. 15. v. 52. 1. Thess. 4. v. 16. Pios ad vitam aeternam, impios vero ad iudicium, Dan. 12. v. 2. & ignem aeternum Matth. 25. v. 41. non duratione tantum aeternum, sed etiam aetione, secus ac sentit Origenes & Anabaptista, qui ignem quidem aeternum, sed ustionem qualiscumque tandem illa sit, in damnatos non fore aeternam profitentur.

39. Neque

39. Neque est quinquam regerere, quod qui crediderit in filium, non sit venturus in iudicium Iohan. 5. v. 24. liquidem illud intelligendum de iudicio condemnationis non absolutionis. Neque vero etiam quicquam obest, quod Psal. 1. v. 5. impii dicantur non resurrecturi in iudicio. Vocabulum enim *ἔσθω* idem est, quod consistere, & nihil hic aliud denotatur, quam quod impii coram iudice non consistent, sed causa cadent.

40. Effundet igitur & mare corpora defunctorum omnia, quae unquam absunxit Apoc. 20. v. 13. dabit quoque terra, infernus vero dabit animas, dabit & caelum, quae corporibus suis consociantur. Non etenim novum unicuique animae corpus est formandum sed eadem singulorum quo ad substantiam quae ceciderunt, sunt resurrectura Iobi 19. v. 26. 27. 2. Cor. 5. v. 10. Qualitatem autem mutationem passa & accidentibus diversa Matth. 13. v. 43. Sap. 3. v. 7. Dan. 12. v. 3. Luc. 20. v. 36. 1. Cor. 15. v. 53. 2. Cor. 5. v. 1.

41. Reliqui vero quos in vivis iudex deprehendet in momento oculi in novam & immortalam vitae conditionem mutabuntur 1. Cor. 15. v. 52. Nam cum ratio temporis tum non sit permissura, ut usitatam mortis ordinariae conditionem corpora illorum subeant, immutationem patientur, & mira celeritate ex corruptibilitate in incorruptibilitatem transibunt; Atque ita morti quiddam *ἀνάλογον* non vero ipsam mortem sentient, secus ac August. lib. 20. de civitate c. 20. & D. Thomas alicubi statuunt.

42. Tum executio latae sententiae sequetur impiorum videlicet a Deo in poenas aeternas abjectio Matth. 25. v. 41. Luc. 13. v. 27. 28. Rom. 2. v. 8. 9. 2. Thess. 1. v. 8. 9. Iacob. 2. v. 13. Apoc. 21. v. 8. Unde etiam extremus dies nominatur dies ire & revelationis iusti Dei iudicii Rom. 2. v. 5. Et piorum redemptio, liberatio consummativa & in integrum seu vitam aeternam lapsu primorum parentum amissam restitutio Matth. 25. v. 34. Rom. 8. v. 21. 1. Cor. 15. v. 54. 55. 56. Unde dies redemptionis & restitutionis a Christo & Apostolis nominatur Luc. 21. v. 28. Rom. 8. v. 23. Act. 3. v. 19. 27. Et tantum de textu primae partis, unde oriuntur

QVÆSTIONES.

1. Utrum iudicium infallibiliter sit ad futurum? 2. Utrum, cum Pater Filio dederit auctoritatem exercendi iudicium, quia Filius hominis, Christo etiam secundum humanam naturam competat

petat divina majestas? 3. Utrum, cum Christus de die iudicii prophetaverit, & tamen eundem ignorasse dicatur, sit omniscius? 4. Utrum, cum dicatur rediturus ad iudicium, etiam quia homo sit omniprensens?

Ad 1. sic arguitur: Videtur iudicium non esse certo ad futurum, 1. ob impossibilitatem: fieri enim nequit, ut tam præclara & firma cæli terræque compages in nihilum recidat. 2. ob experientiam: satis enim diu constitit istud universi ædificium, nec ruinam miniatum fuit unquam. 3. ob absurditatem: absurdum enim foret omnes omnium temporum & locorum homines uno in loco simul seniel congregari, & singulos de singulis rationem reddere, de furtis omnibus, homicidiis, adulteriis, perjuriis, operibus omnibus, verbis omnibus, omnibusque omnium seculorum cogitationibus.

Quam quæstionem & rationes ejus dubitandi aliquot meritisimo excutiendas proponimus jure; reperti enim sunt & omnino procul dubitatione etiamnum reperiuntur, qui extremum hunc Salvatoris adventum portentose admodum negent, & quicquid de eo Scripturæ leguntur vaticinata, non errores tantummodo, sed & somnia esse profiteantur, homines omnino ad hoc non tantum ex colluvie vulgi, verum etiam qui nomen suum in doctissimis professi sunt. Quos admodum inscite & sua propugnare & nostra impugnare, cum ex Scripturæ dictis aliis demonstratum sit, unicâ hac ratione ex iisdem deductâ evidentissime probatum dabimus. Nemo omnium sit, qui negare audeat, aut negabit, vel si negaverit, manifesti erroris convinci poterit, Deum Opt. Max. de hoc suo ad iudicium adventu edidisse decretum. Hoc autem decretum necessum est, ut sit aut verum aut falsum. Sin falsum, includit in Deo contradictionem naturæ ejus intrinsecè repugnantem: ea enim quæ contradictionem implicant, sicut sese hostiliter conficiunt: ita si potentia Dei subdantur, non potentiam, sed summam potius impotentiam adstruunt, qui tamen omnium perfectissimus, omnis compositionis & imbecillitatis, sive non-Entitatis expertus, actus purissimus, nulla potentia passiva impotens, sicuti causa ita norma reliquorum omnium. Neque tamen exinde impotentia ipsam quisquam arguere debet, imò non potest, nisi forte an idem sibi evenire velit quod Plinio, qui cum cap. 7. lib. 2. *hystor. anim.*

Deum

Deum impotentem esse probare vellet, quod nec sibi mortem consciscere si vellet, nec mortales æternitate donare, nec revocare defunctos, nec facere ut qui vixit non vixerit, qui honores gessit non gesserit, ac multa similia efficere non posset, omnipotentiam ejusdem demonstravit. Sanè Deum non posse mortales immortales facere, aut revocare defunctos, magnum est mendacium. Quid enim anne fons vitæ & resurrectionis immortalitate, quem vult donare & defunctos in vitam revocare non poterit? Propterea verò non esse omnipotentem, quia mori nequeat, summè profectò est ridiculum, Facere ut qui honores gessit non gesserit, qui vixit non vixerit, est contradictoria efficere. Verum contradictoria, sicuti patuit, se invicem mendacii arguunt. Quid igitur, an Deus idè non est omnipotens, quia mentiri nequit? At hoc quoque foedius est quàm superiora, mentiri enim in virum bonum cadere non debet, multò minùs ut in Deo requiratur. Scire debuisset ille infinitam Dei omnipotentiam non attendi penes quasvis actiones, sed penes hoc, quod possit efficere omne possibile, sive quod habet rationem factibilitatis, uti loquuntur. Sin autem verum Dei decretum, uti verissimum, suum omnino sortietur exitum, & sic habemus quod volumus certitudinem videlicet extremi diei necessariam, necessitate puta consequentia.

Contra rationes paulò antè allatas sufficientissime sacrosancta nos armavit Scriptura. Contra impossibilitatem: quod Deo nihil impossibile Luca 1. v. 37. contra experientiam: tempore diluvii tales etiam extitere derisores experientiam objectantes, & tamen mundus aquâ inundatus perit 2. Petri 3. v. 6. sic etiam in destructione mundi fiet. Quin & turpissimè ab experientia argumeneum ducitur in rei durationem in futurum, cum de duratione sit judicandum non secundum experientiam, sed ex voluntate causæ conservatricis, Dei scilicet: sicut & in aliis rebus argumenta à sola experientia deducta periculosa habentur & lubrica. Contra absurditatem, si rationi repugnare quis putet, cogitot fide splendendum esse, quod rationi doct. Fide scimus secula esse facta verbo Hebr. 1. v. 3. & eadem credimus esse destruenda.

Ad 2. sic arguitur à Calvinianis promiscuè ex lib. 3. Aristotelis *de divinis nominibus* & Finitum non est capax infiniti. Humana Christi natura est finita, majestas divina infinita. E. 2. à Sadeck in volum. operum

operum Theologicorum fol. 153. Nihil quod est essentia divina rei creata communicari potest. 3. Idem alicubi dicit: Humanae Christi naturae non potest conferri Deitas.

Verum in contrarium pugnat textus v. 27. ubi Filius hominis dicitur venturus in nube cum potentia & gloria multa. Et Iohan. 5. v. 27. Pater potestatem iudicium faciendi dedit Filio, quia Filius hominis est. Quod verò quidam hic excipiunt, verum id esse de ministerio iudicii, non autem de executione, siquidem in executione iudicii humana natura nihil amplius sit praestitura, quam quod vel naturae proprietate, vel conditione donorum creatorum ipsi competat, ne in speciem quidem est probabile, siquidem adversatur hoc particulae universali. Ioh. 5. v. 22. κείσε inquit enim Scriptura πάσαν κείσε, non tantummodò ministerium, verum etià executionem iudicii Christo secundum humanam naturam esse datam. Non igitur erit humana Christi natura καθὼς ὁπρὸς τὸν αὐτὸν ὄργανον omnis δυνάμεις κερτικῆς experts, sed ἄλλως secundum eam omnia exequetur vi & virtute ὑποστατικῆς ἐνδύσεως. Ad primum igitur argumentum respondemus, principium illud philosophicum pessimè est accommodatum, & confundere Calvinianos genera disciplinarum, quando capacitatem Mathematicam & Physicam transferunt ad capacitatem mysticam, contra praecipuum Aristotelis in posterioribus analyticis, ubi disertissimis prohibet verbis μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Ceterum ad absurdum facili negotio ita deducuntur: Finitum non est capax infiniti. Humana Christi natura est finita, ὑπόστασις κερτικῆς ἄλλως. Conclusio est absurdissima, Ergo vel major vel minor, cum ex praemissis legitimè dispositis non nisi verum sequatur. Nō minor. Ergo major, quae est Calvinianorū. In 2. & 3. Major itidem est falsissima, idq; deductione ad absurdum probatur hoc modo: Cuicumque non potest communicari essentia divina & ipsa Deitas, ei nec hypostasis τῆς ἄλλως, quia ὑπόστασις ab essentia divina sive Deitate realiter non differt. Sed juxta Sadeclem essentia divina sive ipsa Deitas non potest communicari rei creatae, & sic nec humanae Christi naturae. E. nec ὑπόστασις τῆς ἄλλως communicari potest rei creatae, & sic neq; carni assumptae. Conclusio est impia, esset enim sic humana Christi natura ἀνυπόστατος. Ergo aliqua praemissarum. Non major, uti visum est, E. minor, quae est Sadecelis.

Ad 3.

Ad 3. sic arguitur. Videtur Christum non esse omniscium, si quidem nescire dicatur diem & horam iudicii Marci 13. v. 32. Ad hujus quaestionis discussionem accuratissimè attendendum dicitur illud variis modis à Scripturarum interpretibus explicari. 1. Non novisse Filium hominis in membris suis. Ita Origenes tract. 30. in Matth. Cui accedit Gregorius lib. 8. Epist. 42. ad Eulogium: Non est (ait) referendum ad Filium juxta hoc, quod caput est, sed juxta corpus ejus, quod nos sumus. 2. Non novisse Filium diem iudicii practica cognitione atque experimental. Sic Epiphanius haeres. 69. Bernardus de gradibus humilit. post praefationem. 3. Non novisse Filium diem iudicii, ut homo, ita Cyrillus lib. 9. Thesauri cap. 4. Gregorius epistola indicata. Ambrosius in Luc. cap. 17. Nazianzen. orat. 36. 4. Dominum ad fontem totius Trinitatis & scientiae dei extremi scientiam retulisse, nempe ad Patrem. Huic sensui favent Basil. & Nazianz. orat. 36. Euthym. Augustin. sermon. 21. de verbis Domin. Athanas. in disputat. contra Arium in Concilio Niceno. 5. Non novisse Filium diem iudicii, ut alius aperiret, ideoque discipulis aperire noluisse, ut retrenaret illorum curiositatem. Hinc Chrysost. quod dixit: Neq; Angeli repressit eos ne discere vellent, quod Angeli nesciunt. Eo verò quod dixit: Neq; Filium, non solum à discendo, sed etiam à quaerendo prohibuit. Gregor. Epist. 42. Sic dictum est (inquit) non quod Christus nesciat diem, sed quia hunc scire nemini permittat. Ambros. super Luc. cap. 17. Christus horam novit sibi, mihi nescit. Hilar. lib. 9. de Trinitate: Filius diem idcirco, quia tacet, nescit August. lib. 1. de Trinitate cap. 12. & lib. 1. de Genesi contra Manichaeos cap. 22. in eandem descendit sententiam. Locutum igitur fuisse Christum Marci 13. v. 32. de hominibus & Angelis simpliciter, ajunt: Illud verò quod adjicitur: de Filio hominis, intelligendum, ipsum non novisse diem iudicii ad revelandum. Nam, ut sic interpretentur, existimant causam in Filio esse maximam: siquidem perspectum habeant, illum diem scire. In Angelis autem & hominibus causam suppetere nullam, ut ipsis aliqualem hujus, de quo diximus, negotii tribuant scientiam. Pro ultima dicti supra allegari explicatione plurimi eruditorum pugnant, quam tamen comparatio à minore (videlicet Angelis) eodem modo ascendens; & exclusio Patris, qui itidem diem iudicii ad revelandum non novit, vix patitur. Proinde (salvâ aliorum gravissimâ auctoritate) illam qua Christus

secun-

secundum humanam naturam in statu κινώσιως diem iudicii ignorasse, jam vero in statu ὑπερφύσεως ob plenissimam communicationem omniscientiae usurpationem exactissimè nosse dicitur, tutiorem esse existimamus.

Ad 4. sic arguitur à Clavinianis: Videtur Christum secundum carnem non esse in terris. 1. quia in hodierno Evangelii textu dicatur venturus in nube. 2. quia esse unum corpus in uno loco, & esse in pluribus sint opposita. 3. quia si secundum carnem esset ubique, secundum eandem etiam foret infinitus. Respondemus ad 1. παρουσία Christi & reditum ejus ἀνιφορτικῶς sibi non opponi, nec hunc illam tollere. Venturus est visibiliter teste Evangelio, visibiliter ergo non adest, sed qui visibiliter abest, invisibiliter adest, quia invisibili ratione sedet ad dextram Patris omnia implens Ephes 4. v. 10. Unde hic adventus in Scripturis ἀποκάλυψε 1. Cor. 1. v. 7. & ἐπιφάνεια seu visibilis apparitio 1. Tim. 6. v. 14 2. Tim. 2. v. 13. & alibi sæpius appellatur. Ad 2. negamus esse opposita, ad veram enim ἀντιφάσιν. 4. requiruntur 1. ut fiat ὁσούτω 2. Κατὰ τὸ αὐτὸ. 3. ὅπου αὐτὸ. 4. ἐν αὐτῷ ἕνῳ. In his autem propositionibus corpus Christi est in uno loco, & corpus Christi est ubiq;, secunda conditio deficit; non enim eodem modo de corpore Christi dicuntur, corpus namque Christi de proprietate naturali est in uno loco, ex gratia autem unionis hypostaticæ & exaltationis ad dextram Dei est ubique, quatenus videlicet ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ subsistit. Nulla igitur hic est oppositio. Contra verò pugnat Anthon Sadæel in volum. operum suorum Theologicorum pag. 257. nunquam, inquit, vestri respectus efficient, ut hoc corpus &c. sit actu alicubi præsens, neque ibi sit localiter. Quibus Sadæel quantum in ipso est unionem personalem revera solvit. Nam quicquid tantummodò est, in loco localiter non subsistit ἐν τῷ λόγῳ, quia λόγος non est locus, neque etiam ἐν τῷ λόγῳ est locus, cum ille omninò sit incorporeus. Atqui juxta Sadæelem caro assumpta tantum est in loco localiter. E. caro assumpta nò subsistit ἐν τῷ λόγῳ. Jā quicquid non subsistit ἐν τῷ λόγῳ illud extra λόγον dicendum est subsistere, Caro Christi nò subsistit ἐν τῷ λόγῳ. E. extra λόγον dicendū est illam subsistere. Quicquid autem subsistit extra λόγον, non est ipsi personaliter unitum. Caro assumpta subsistit extra λόγον, E. non est ipsi personaliter

naliter unita. Conclusio est absurdissima. Ergo alterutra propositio primi syllogismi, ex quo hæc consequuntur. Non major propter rationem ibidem additam. E. minor quæ est Sadæelis. Ad 3. quod indigeat limitatione tali videlicet; si ubique esset Christus, quo ad carnem naturaliter infinitus esset, jam autem nemo dixerit nisi absurdissimus Christum secundum carnem naturaliter esse ubique, sed κατ' ὑπερφύσειν. De quibus esset in promptu plura commemorare, sed nimis diu in iis quæ narrata fuere videor esse moratus, ideoque progredimur ad secundam partem.

De Secundo.

43. De signis gentibus anxieratem & consilii inopiam v. 25. hominibus præ timore & expectatione malorum supervenientium orbi terrarum ex animationem & potestatibus cælorum concussionem v. 26. allaturis vaticinatus Salvator, pios omnes in super admonet, ne cum signa viderint timeant, atq; animum abjiciant, sed melius sperare incipiant, quod bonum illius sint prænunciatura eximium. Quapropter sursum adspicere & capita attollere illos hortatur v. 28. Quod est ut Gregor. homil. 1. in Evangelia exponit, corda exhilarare. Cordis autem exhilaratio fit quoties ebulliunt piorum animi in laudem Dei Opt. Max. ita ut cor incalcescat, novos motus sentiat, seletur superna. Quemadmodum, igitur radii visivi in corpus solis unice feruntur, ibidemq; (ut optico utamur verbo) concentrantur: ita omnia sensa, dicta, facta nostra unice in Deum dirigantur, inq; Sole justitiæ Christo Deo homine defigantur ad excipiendum Sponsum Apoc. 22. v. 17.

44. Consolationem, de qua diximus, Christus deducit I. ab utili, quod videlicet appropinquet redemptioni nostri v. 28. Ubi advertendum redemptionem hic intelligi 1. consummativam corporum quæ sub captivitate mortis & corruptione ad iudicium usq; detinentur juxta illud Apostoli Rom. 8. v. 23. apud nos ipsos suspiramus adoptionem expectantes, hoc est redemptionem corporis nostri. Talis autem redemptio conficietur I. corpora ex pulvere terræ resuscitando, 2. animabus suis conjungendo, 3. in iudicio absolvendo, 4. ad cælestia transmittendo. II. Cum Salvator locutus fuerit non tantum cum illis qui mortui sunt, vel adhuc ante adventum ultimum morientur, verum etiam cum hominibus qui extre-

mis illis temporibus victuri sunt, non incommodè significabitur etiam hinc animæ redemptio hoc sensu: Cùm signa videritis, ne timeamini, quoniam appropinquat redemptio animæ corporisque vestri, quæ ex hujus mundi vitiis, periculis, aliisque malis omnibus in summam & consummativâ beatitudinis libertatē redimemini.

45. 2. A similitudine admodum Emphaticâ, desumpta à fico & omnibus aliis arboribus v. 29. 30. 31. Quod quemadmodum cum tempore veris ficus & omnes arbores gemmas protrudunt, & quæ mortua visa fuere quasi reviviscunt, æstatem imminere persentiscamus: ita etiam cum signa, de quibus diximus, fieri incipiant, agnoscere (agnoscere inquit, ut ansam dubitandi penitus præcidat) debeamus, jamjam appropinquare regnum Dei, lætissimam illam vitæ æternæ æstatem, ubi redibit calor frige factis, & vita cineribus. Quod respexisse videtur *Gregorius hom. 1. in Evangelia*: Bene (inquit) regnum Dei ætati comparatur, quia tunc mæroris nostri nubila transeunt, & vitæ dies claritate æterni Solis fulgescunt.

46. 3. A necessario deducto à certissima asseveratione Christi v. 32. Cum igitur *juramentum omnes controversias terminet Hebr. 6. v. 16.* de asseveratione Christi verissimum omnino est, tollere illam debere omnes dubitationes, ita ut de ejus veritate cespitare insignis sit impietatis argumentum. Etenim *caelum & terra licet transeant, verba tamen Christi nequaquam præteribunt v. 33.* impossibile quippe est Deum qui veritas ipsa *Iohan. 14. v. 6. & cujus sermo veritas est Iohan. 17. v. 17.* mentiri posse *Hebr. 6. v. 18.*

47. De certitudine igitur verborum Christi homini verè Christiano dubium sit nullum, attamen obscurum esse poterit quomodo intelligendum quod subsicitur: *Nequaquam præteribit hæc æta quousque hæc omnia facta fuerint. Chrysost. Theophyl. Euthym.* de generatione fidelium Salvatorem loqui arbitrantur hoc modo: *Non præteribit aut desinet esse generatio fidelium. Nunquam enim desinent esse Christi cultores usque ad iudicium, etsi infinitis persecutionibus quasi exanimentur.* Similiter *Origenes* non præteribit (inquit) generatio Novi Testamenti, donec omnia fiant. *Hieronymus & Beda in Lucam* generationem (ajunt) aut omne humanum genus significare aut specialiter Judæorum, hoc videlicet intellectu: *Non præteribit generatio hæc Judæorum, non desinet in mundo esse donec fiant omnia,*

omnia, & iudicium adveniat. Nam ad extremū usque tempus durabit, & tunc veram fidem recipiet. *Abulensis in Matth. 6. 24. quæst. 197.* de everfione Hierosolymitana interpretatur, dicitque loqui Christum de generatione Judæorum tunc cum hæc dicebantur existente, siquidem multi ex Judæis, qui tunc in vita manserint, everfionis tempore superstites fuerint. Idem opinatur *Cardinalis Baronius 1. tom. Anna- lium.* Verùm verbis textus accuratius inspectis ratione posterioris opinionis difficultas tota facile tollitur: cùm enim reliqua omnia, quæ diximus, ad ultimum Christi adventum spectent, verisimilius omnino videtur, & hæc eodem pertinere. Quod autem ad iudicium pertineant vel exinde liquet, quod, cum hæc fieri incipiant, sursum respicere & attollere capita sua jubeantur pili. Jam in excidio Hierosolymitano nullam appropinquasse redemptionem piorum liquidum est. Cæterùm illa verba: *Cum hæc fieri incipient, solis obscurationem & casum stellarum indicant sonitumque maris &c.* Quæ in iudicio omnia contingent, in everfione autem Hierosolymitana contigisse nondum constat. Quæ subsequuntur: *videte sicut & omnes arbores* ad iudicium identidem referenda sunt, ut illa verba convincunt; *cum videritis hæc fieri agnoscite prope esse regnum Dei.* Jam autem regnum Dei post everfionem non fuit magis prope, quàm ante. Si igitur hæc ad iudicium pertinent, quidni quod sequitur eodem spectabit? *Nequaquam præteribit hæc æta donec omnia fiant.* Locum igitur ipsum quod attinet v. 22. de ætate omnium hominum intelligendum existimamus hoc modo: *Non desinet esse in mundo humanum genus donec omnia, quæ dixi, fiant.* Hoc est omnino & certissime hæc fiet, antequam genus humanum ex terra aboleatur. Et sanè meritò hanc dictorum confirmationem, subjecisse Christum dixeris, idque maximè ob prædictum suum adventum, quod hic hominum iudicio videretur nimis differri, adeo ut etiam tempore Apostolorum ob ejus dilationem quidam putaverint, vanam esse adventus Christi expectationem, uti liquet ex *2. Pet. 3. v. 4.*

48. Fuere hæc, uti visum, altioris indaginis, verùm nec minoris putaverim considerationis verba quæ adduntur: *caelum & terra præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt v. 33.* Diximus non minoris hæc esse considerationis, & verè diximus, quod vel varia arguit interpretum explicatio. *Hieron.* interpretatur

ita: *Cælum & terra transibunt* immutatione non abolitione sui, verba autem mea non transibunt. Eadem est mens Bedæ & Haymonis quasi sit sensus: Cælum & terra immutabuntur, verbis autem meis mutatio nulla inerit, sed verissima illa sunt & immutabilia. *Barradius* existimat congruentiorem esse explicationem: *Cælum & terra transibunt*, hoc est, potius vel prius cælum & terra esse deficient, quam verba mea desinant esse vera, *Chrysostr.* sic explicat: Facilius hæc firma & immobilia destruentur quam verba mea possint decidere, Et *Theophyl.* confirmans (*inquit*) Dominus dicta ait: Facilius cælum & terram aboleri quam ut quoddam ex meis dictis mendax sit. In eandem sententiã inclinant *Euthym.* *Abulens.* *Ians.*

49. Nos priora verba: *Cælum & terra præteribunt* quæst. 2. *hujus partis* exequemur. Posteriorum: *verba autem mea nequaquam præteribunt*, hunc sensum esse existimamus: Verba Christi non fore inania, ut non eveniat, quod illa prædixerint. Quemadmodum hominum verba, quibus multa sæpè promittuntur, & tamen frequenter vana deprehenduntur, sive propter mendacitatem & mutationem loquentis, sive quod aliud quid externum impediatur prædictorum eventum, aut promissionis adimpletionem. Quod autem dicit Christus, *sua verba non esse transitura*, intelligendum id est non quantum ad sonum, qui sanè transit, sed quantum ad rem per verba significatam. Atq; ea ratione optime comparat sua verba cum cælo & terra ad significandum ea firmissimis rebus esse firmiora. Ad explicationem textus secundæ partis hæc sufficiant unde existunt.

QVÆSTIONES.

1. Utrum cum Christus dicta sua juramento quasi confirmaverit etiam homini Christiano legitimum juramentum sit licitum? 2. Utrum interitus mundi *ἄλλοιωσις* sit definitivus? 3. Utrum ignis, cujus conflagratione mundus est transiturus ab hominibus cognosci possit? Ad 1. sic arguitur: Videtur pro Manichæis & Anabaptistis omnia juramenta abolerentibus scriptura multis in locis pugnare, ut *Sophon.* 1. v. 5. *Zach.* 8. v. 17. *Matth.* 5. v. 33. & 23. v. 16, 18, 20, 21, 22. *Jacobi* 5. v. 12. Verum contrarium confirmatur tripliciter, 1. Testimoniis, 2. Exemplis, 3. Argumentis. 1. Testimonia deprehendimus *Exod.* 20. v. 7. 22. v. 11, & 23. v. 13.

Deut. 6.

Deut. 6. v. 13. & 7. v. 20. 3. *Reg.* 8. v. 31. 2. *Paral.* 6. v. 23. *Psal.* 115. v. 4. & 63. v. 12. *Ierem.* 4. v. 2. *Zachar.* 8. v. 17. *Hebr.* 6. v. 13. 2. Exempla sunt ipsius Dei *Gen.* 22. v. 16. & 26. v. 3. *Num.* 14. v. 23. *Christi* *Iohan.* 16. v. 20. & 23. *Abrahami* *Gen.* 14. v. 22. & 21. v. 24. *Jacobi* *Gen.* 31. v. 53. *Iosephi* *Gen.* 47. v. 31. & 50. v. 5. *Davidis* 1. *Reg.* 24. v. 23. & 20. v. 3. & 30. v. 15. & 2. *Reg.* 3. v. 35. & 21. v. 7. & 3. *Reg.* 1. v. 29. *Pauli* *Rom.* 9. v. 1. 2. *Cor.* 1. v. 23. *Angeli* *Apoc.* 10. v. 6. & multorum aliorum quæ omnia hic enumerare nimis longum foret. 3. Argumenta producimus pauca quidem verum talia quæ à quoquam elidi posse inficiemur, 1. Quorumcumq; Deus est autor, ea homini Christiano sunt licita. Juramentorum Deus est autor *Exod.* 22. v. 11. *Deut.* 6. v. 13. & 10. v. 20. Ergo juramenta homini Christiano sunt licita. 2. Quicquid est confirmatio fidei & veritatis, licitum decisio, & vinculum ordinis politici, illud homini Christiano est licitum. Atqui juramentum legitimum est confirmatio fidei &c. *Exod.* 22. v. 11. *Hebr.* 6. v. 16. E. Homini Christiano est licitum. 3. Quicquid est invocatio nominis divini, qua petimus ut Deus Opt. Max. ipse det veritati testimonium, illud est licitum. Juramentum legitimum est invocatio nominis &c. Ergo est licitum. Dicta pro Manichæis & Anabaptistis adducta legitimum & ordinarium jusjurandum non sustollunt, sed levitatem juramenti temerarii non habentis causas & condiciones legitimo juramento debitas. In quibus rebus censendis ut hic immoremur neq; est hujus loci, neq; etiam nostri instituti.

Ad 2. sic arguitur. Videtur ex quibusdam Scripturarum dictis, quorum duo adducturi reliqua in discursum dilaturi sumus, mundum secundum substantiam non esse interitum. 1. Quia *cælos Deus statuerit in æternum & in seculum seculi* *Psal.* 148. v. 6. 2. Quia *terra in æternum stare dicatur* *Ecclesiast.* 1. v. 4. Sed in contrarium pugnare putantur: *Cælum & terram transitura* *Matth.* 5. v. 18. & 24. v. 35. *Mundum & cælos transitorios*, *Psal.* 102. v. 27. 2. *Petri* 3. v. 10. Et *Ioh.* 2. v. 17. *Terram novam & cælum novum creatum iri* *Es.* 65. vers. 17. 2. *Pet.* 3. v. 13. & *Apoc.* 21. v. 1. Circa hujus quæst. considerationem neminem latere potest, vel certè non debet, variare tum Theologos tum Philosophos saniores. Pontificii & Patres plerique, uti antedictum reliquimus, pro *ἄλλοιωσις*, quod nimirum mundus ratione *ποιότητων* in melius sit commutandus, pugnant. Nostri Theologi magna

magna ex parte pro $\phi\theta\omicron\gamma\acute{\alpha}$ quod $\acute{\iota}\omega\alpha$ sive substantiæ ratione in nihilum sit redigendus decertant. Nos ejusdem interitum discretissimis Scripturæ verbis affirmatum credimus, an verò ille fieri debeat $\phi\theta\omicron\gamma\acute{\alpha}$ sive totali interitu, ita uti totius mundi $\acute{\iota}\omega\alpha$ in nihilum vertatur, an $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\iota\omega\sigma\eta$, ut permanence substantiæ alia forma ei indatur, in dubio adhuc versari videmus. Non itaq; habemus, quid $\acute{\alpha}\nu\alpha\nu\tau\eta\rho\rho\acute{\iota}\lambda\omega\varsigma$ hic concludamus, præterquam quod $\epsilon\mu\phi\acute{\alpha}\sigma\eta\varsigma$ Scripturæ dictorum pro $\phi\theta\omicron\gamma\acute{\alpha}$ citatorum essentiali interitui favere videantur. Quem tamen tanquam articulum fidei ad salutem scitu credituq; absolute necessarium defensuri sumus neutiquam. Dicta pro $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\iota\omega\sigma\eta$ superius allata solutione non videntur difficilia, modò inter æternum, 1. quod neque finem neque initium habet. 2. quod durat à parte post sed non ante. 3. quod diu durat, distingvatur,

Ad 3. sic arguitur. Videtur qualis futurus sit ignis ab hominibus cognosci posse 1. quia, ut quidam Philosophorum existimant, certo quodam siderum concursu incendium orbis excitandum est, quando videlicet omnia omninò sidera, quæ nunc diversissimos agunt cursus in Cancrum convenerint. 2. quia, ut Scholasticorum alii opinantur, elementum ignis ex concavo Lunæ globo descendurum & tria reliqua elementa expurgaturum sit. 3. quia ex radiis solaribus ardentissimis & densissimis in media aëris regione quasi in speculum coeuntibus incendium mundi proditurum videatur. Nos qui ignis hujusmodi, an ejusdem naturæ & speciei cum igne nostro elementari, an diversæ, & in qua mundi sequerum parte jam delitescat, & unde tunc venturus sit, hominem existimamus scire neminem, nisi fortean Spiritus divinus cui revelaverit. Dicat qui possit, sicut enim possit probare quod dicat. Nos ista ignorare fatemur & judicamus longè tutiorem esse in non revelatis voluntariam ignorantiam, quam temerariam scientiam. Ideoque de igne consummationis sentiamus & loquamur servatâ Christianâ sobrietate & modestiâ, $\mu\eta\delta\epsilon\upsilon\ \phi\rho\omicron\nu\acute{\alpha}\nu\tau\epsilon\varsigma\ \pi\alpha\rho\ \acute{\omicron}\ \delta\epsilon\iota\ \phi\rho\omicron\nu\acute{\alpha}\nu\tau\epsilon\varsigma\ \acute{\alpha}\lambda\lambda\grave{\alpha}\ \phi\rho\omicron\nu\acute{\alpha}\nu\tau\epsilon\varsigma\ \epsilon\iota\varsigma\ \tau\omicron\ \sigma\omega\phi\rho\omega\sigma\tau\acute{\iota}\omega\varsigma$. Rationes supra adductas quod attinet, cum conjecturis tantum non Scripturis nitantur, eadem facilitate rejicimus quâ adduci posse vidimus.

De Tertio

De Tertio.

§ 0. Postquam Dominus, quæ de adventu cognoscere conveniebat, prædixisset, commodissimè jam subjungit, quomodo ad eundem nos præparare debeamus, ne videl. in securitatem prolatabamur, sed parati inveniamur ad reddendam totius vitæ rationem.

§ 1. Præparationem autem veram describit à vitiorum fuga & virtutum cultura.

§ 2. Vitia fugienda sunt voluptas & avaritia v. 34. Voluptas ibidem describitur à crapula & ebrietate. Ubi nomine $\kappa\rho\alpha\pi\acute{\epsilon}\lambda\lambda\eta\varsigma$ non significatur hic grædo illa capitis ex nimio vino, quâ quasi vibratu quodam caput concutitur; dicta siquidem $\kappa\rho\alpha\pi\acute{\epsilon}\lambda\lambda\eta$ ex eo quod $\tau\omicron\ \kappa\alpha\rho\acute{\iota}\ \omega\acute{\alpha}\lambda\lambda\eta$, verum nimia cibi potius ingurgitatio, cum à se invicem distingvantur crapula & ebrietas. Quod respexisse creditur Syrus interpres, quando $\kappa\rho\alpha\pi\acute{\epsilon}\lambda\lambda\eta$ vertit מְשֻׁכָּרִים , Quæ vox exponitur per Hebraicam מְשֻׁכָּרִים comestatio. Quod si tamen cuiquam propria nominis $\kappa\rho\alpha\pi\acute{\epsilon}\lambda\lambda\eta$ significatio retinenda videatur, erit hic figura loquendi $\epsilon\upsilon\delta\omega\sigma\tau\acute{\iota}\omega\varsigma$ in hanc sententiam: *Cave te, ne corda graventur crapula & ebrietate, id est, ebrietate qua ex se parit crapulam.*

§ 3. Avaritia quando ponitur $\epsilon\upsilon\ \mu\epsilon\gamma\acute{\iota}\sigma\tau\omicron\varsigma\ \sigma\iota\omega\tau\iota\mu\acute{\alpha}\varsigma$ v. 34. id est, in curis de victu, per synecdochen membri intelligitur etiam sollicitudo de amictu & alijs divitiarum copiis illicitè acquiri solitis. De quibus Ambrosius, *Quid mihi profunt divitiæ, si me à morte liberare, si mecum esse non possunt? Hic acquiruntur, hic relinquuntur.*

§ 4. Dehortatio Christi ab hujusmodi vitiis suadetur duobus, quod illis sese dedere, 1. sit onerosus, quia corda, id est, mens & animus illis aggraventur. Deprimunt enim mentem, ne ad attentam cœlestium rerum considerationem attolli possit. Quemadmodum igitur viatori non expedit, multis sese onerare nisi à comitibus deseri, & urbe excludi velit: ita vita piorum instar peregrinationis sese habet, quæ tamen tendit ad cœlestem Hierosolymam, ideoq; pii non onerabunt se terrenis, onerabunt autem si voluptati & avaritiæ sint dediti. 2. Periculosum, quia voluptati & avaritiæ addictos judicii dies ex inopinato deprehendet v. 34. *Vti enim laqueus ex improvise avem illaqueat: ita dies ille repente homines irretiet, implicabit, atq; invadet in omnes, qui habitant in superficie totius terræ v. 35.*

D

§ 5. Qui-

55. Quibus, quando adventus Christi novissimus laqueo confertur venatorio, simile nobis ob oculos ponitur admodum Emphaticum; quæ enim laqueo tenentur, insolubiliter teneri videntur: sic illi, quos dies ultimus irretiet, nunquam inde extricabuntur.

56. Per illos qui habitant in superficie totius terræ non incommodè videntur intelligi homines, qui terrenis rebus sunt affixi, in quos dies ultimus deveniet præter expectationem, & extremo eorum cum malo, unde, quo sese expediant, medium deprehensuri sunt nullum. Sicut autem laqueus supervenit avibus in terram dilapsis, non autem illis quæ in sublimi volitant: sic in eos quorum conversatio in cælis est non superveniet dies ille tanquam laqueus, sed in peccatores Psal. 10. v. 9.

57. Hisce, de quibus diximus, admonuit Christus vitia fugere, jam ad virtutum culturam, præparationi ad Christi adventum, quæ consistit in vigilantia & oratione, necessariâ progreditur v. 36.

58. Ad vigilantiam; quia oportet Christianos circumspicere & prudenter ambulare Ephes. 5. v. 15. & 17. Quemadmodum igitur milites strenui, qui nesciunt, quando hostes irruptionem facturi sint, omnibus horis diurnis & nocturnis excubias agunt; ita etiam pios (siquidem ignorant quando iudex ad iudicium adventurus sit, an ferotino tempore, an nocte concubia, an cum gallus cantu prædicat diem, an matutina hora) vigilare oportet omni tempore, ne imparati inveniantur & puniantur.

59. Illud omni tempore potest referri vel ad vigilantiam vel ad orationem vel commodius ad utramque, non quod omni momento id sit faciendum, sed quod incessanter hisce negotiis sit incumbendum & à vitiis sustinendum, quia uti Dionysius Carthusianus dicit: Peccatum est infinita fugibilitatè, cum Deus sit immensa honorabilitatè.

60. Ad orationem; quia nunquam tam cautè quis præcavere potest in tantâ naturæ imbecillitate, quin aliquando tentetur. Ideoq; Christus addit: Orantes. Ut videlicet divinitus protegatur, ne in retia Diaboli incidamus.

61. Orationem autem intelligit Christus talem, quæ feliciter inchoetur, feliciter continetur, & feliciter terminetur.

62. Feliciter inchoatur humilitate & fiducia 1. Humilitate, quia humiles Spiritu salvabit Dominus Psal. 34. v. 18. Hoc Spiritu accesserunt ad ipsum omnes sancti, ipsi angeli, imò Dei filius in monte Oli-

ve Oliveti pronus oravit Patrem. Causa hujus humiliationis fuit sufficientissima partim nostræ miseriæ consideratio, partim Dei Opt. Max. quem compellamus majestatis infinita, cui displicere superbi, sed humilium & mansuetorum semper placuit deprecatio Judith. 6. 9. v. 13. 2. Fiducia quæ respicit mandatum & promissionem Dei; Mandatum suppeditat v. 36. Promissionem ex multis vide unam Iohan. 16. v. 23. 3. certissima asseveratione confirmatam: Amen Amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

63. Feliciter continuatur in nomine Christi, ait enim Christus: Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Iohan. 14. v. 13. In hoc enim solo non in alio quoquam est salus Act. 4. v. 12.

64. Feliciter terminatur 1. vera fide: quia dubitantes nihil quicquam accipiunt à Domino, Iacob. 1. v. 6. & 7. 2. Plena spe; quia spes anchora est firmissima ac tuta Hebr. 6. v. 19. quâ navis ista præstationis contra quosvis fluctus & procellas, quibus frequentissimè impetitur, fissi potest. 3. Alacri patientia.

65. Quare ita orandum sit, exponit v. 36. ut videlicet digni habeamur (Dei puta gratia) qui effugiamus ista omnia quæ futura sunt scilicet impiis, & consistamus ante filium hominis.

66. Pars hæc posterior dupliciter accipi potest 1. ut consistere ante filium hominis, sit illius vultum simul cum sanctis angelis in æternum conspiceret. Quâ ratione significantur duo præcanda 1. fuga malorum 2. consortium felicitatis. 2. ut consistere ante filium hominis sit illius iram & severitatem in tremendo Dei iudicio sustinere & intrepidè coram eo consistere.

67. Atque hanc, cujus meminimus, præparationem non ad Apostolos tantum pertinere quis existimaverit, nisi vehementer hallucinari velit, verum ad omnes: quod enim Apostolis Christus dicebat omnibus omnium temporum Christianis dictum volebat, instruebat enim in Apostolis totam Ecclesiam. Quod vobis dico (ait) omnibus dico.

68. Verum hæc illis tantum dicta esse objiciet quisquam, qui iudicii tempore superstites erunt, non ergo dicta omnibus: nam Dominus vigilare monsat homines, ne illos iudicii dies veluti laqueus imparatos comprehendat, illos ideoque tantum moneri, qui tunc temporis sint victuri. Sed respondetur, Deum velle nos semper iudicium expectare, ac si nostris temporibus sit adfutu-

rum, & semper paratos esse ad reddendam vitam rationem. Dices, signa iudicium sunt antecessura, non igitur necessum est ante signa iudicium expectare. Resp. preparationem necessariam esse ad omnia illa, quæ ad iudicium spectant, tum ad signa absque terrore videnda, tum ad reddendam vitam rationem quovis tempore exactissimam. Quinimò oportet nos præparare modo prædicto, quia nescimus, quando venturus sit iudex, ut nos iudicet in morte. Qui autem ad mortem iudiciumque sese parat, is simul etiam sese præparat ad iudicium generale. Tunc enim (ait August. Epistol. 80. ad Hefesihium) unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies ut talis hinc exeat, qualis est iudicandus die illo. Præterea illum (ait) imparatum vel paratum inveniendum in die iudicii extremi, qui imparatus vel paratus invenietur in die mortis. Quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur. *Nam quale fuerit iudicium peculiare, tale etiam generale erit. Si in primo absolverit nos iudex, in secundo non damnabit. Si damnaverit in illo, in hoc non absolvet. Quia (uti idem ait Aug.) particularis sententia in generali non mutatur.*

69. Quapropter parati & patienter adventum Salvatoris expectemus, & cum patienter nos expectet Deus, convertamur, nec cum ad signa transierit, iustitiæ severius damnemur. Nam (quem admodum Gregor. inquit homil. 13. in Evangel.) *Deus quos diu ut convertantur, toletat non convertas durius damnat. Et nemo (inquit) Deus longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem iustitiam in iudicio exigit, quanto longiorem patientiam ante iudicium prærogavit.* Et tantum de ultimæ partis textu, unde depromuntur

QVÆSTIONES.

1. Utrum, cum orare jubeamur, præter Deum ad Mariam virginem, sanctos Angelos & hominum sanctorum Spiritus, tanquam intercessores preces fundendæ? 2. Utrum in spiritualibus, ut verâ oratione & vigilantia spirituali, de quibus textus, homo Spiritui sancto cõoperetur? 3. Utrum, cū digni habendi simus consistere ante Filium hominis dignitas illa vel etiam ullâ alia ex nobis, an verò ex solâ Dei gratia proveniat? Ad 1. à Pontificiis arguitur, præter Deum etiam Sanctos esse invocandos, ut

patet

patet ex lib. 4. distinct. 47. Lomb. ex seq. 9. ead. ultima concilii Tridentini. Catechis. Causis fol 81. 82. 230. Ex Antonin. part. 3. tit. 12. cap. 8. ex Rosariis, Legendis, Hymnis, Collectis, Litanis, Psalterio Maria. Arguitur hoc, inquam, à Pontificiis ob rationem (argumenta enim pro confirmatione opinionis Pontificiæ ex Scripturis depromta, quia strophæ potius sunt quàm argumenta, consultò præterimus) quia non solum incivile, sed etiam periculosum foret, hominem peccatorem in Dei summè iusti & Zelotæ conspectum absque Patronis & intercessoribus prodire. Unde 2. Christum Mediatorem redemptionis, Sanctos autem mediatores intercessionis esse statuunt. Et 3. Sanctos *ἀλλεία*, Mariam virginem & humanam Christi naturam *ἰπερδύλεια*, Deum verò *λατρεία* coli debere, non sine prævaricatione Scripturæ effingunt. Contra Augustana Confessio art. 21. Duabus pugnat rationibus, 1. Quòd Scriptura sacra invocationem Sanctorum non doceat. 2. Quòd manifesta Scripturæ unum tantum mediatorum & intercessorem proponenti invocatio Sanctorum ex diametro repugnet. Priorem huic syllogismo includimus: Quicquid recipiendum in Ecclesiam tanquam dogma fidei, de Dei mandato illud recipi necessum est. Deut. 4. v. 2. Es. 8. v. 20. Ezech. 20. v. 18. Num. 15. v. 39. Matth. 15. v. 9. Atqui de invocatione Sanctorum nullum omninò habemus in Scripturis Dei mandatum, uti etiam Eccius in Enchirid. & Cassander consult. f. 127. ipsa fatentur. Ergo invocatio Sanctorum tanquam dogma fidei in Ecclesiâ non est recipienda. Posteriorem in sequentes resolvimus ἀποδείξει. 1. Quicquid Scriptura Sanctis adimit & ad solum Deum refert, à nobis illis non est tribuendum. Sed invocationem Sanctis adimit & ad solum Deum refert, Deut. 6. v. 13. Marc. 4. v. 10. Psal. 46. v. 2. 2. In quemcumque non credimus ille, non est invocandus, juxta axioma Apostolicum Rom. 10. v. 14. Sed in Sanctos non credimus, verum in solum Deum docente ita symbolo Apostolico, E. non sunt invocandi. 3. Quicumque est invocandus, necessum est, ut sit *cordium scrutator, preces nostras audiat & calamitates cognoscat* Matth. 6. v. 6. Rom. 8. v. 27. Sancti non sunt scrutatores cordium, Est enim id solius Dei 3. Reg. 8. v. 39. 2. Paral. 6. vers. 20. Ps. 7. v. 10. nec preces nostras audiunt. Esa. 63. v. 16. nec calamitates nostras cognoscunt 4. Regum 22. v. 20. Non ergo sunt adorandi. 4. Cultus soli creatori debitus sine idololatria creaturis Rom. 1. vers. 25. tribui

D 3

tribui

tribui nequit. Cultus invocationis soli Deo est debitus. Ergo sine
idololatria creaturis tribui nequit. Ratio pro Romanensibus
adducta præterquam quod ab *Ambrosio in cap. 1. ad Rom.* jamdudum
solidè est refutata, à Scriptura etiam unicum tantum Mediatorem
& intercessorem agnoscente rejicitur. 1. *Tim. 2. v. 5. Unus est Me-*
diator Dei & hominum, homo Iesus Christus. 2. *Iohan. 2. v. 1. habemus Ad-*
vocatum apud Patrem Iesum Christum justum, qui non tantum in diebus carnis
sua, uti Epistola ad Hebr. cap. 2. v. 1. differit, sed etiam nunc postquam resur-
xit & ad dextram Dei est pro nobis interpellat. Rom. 8. v. 24. 1. Iohan. 2. v. 1.
quis se solum compelli iussit. Matth. 11. vers. 28. Iohan. 14. vers. 6.
2. Distinctio inter Mediatorem redemptionis, qui sit Christus &
mediatores intercessionis, qui sint Sancti, quia omni Scripturæ au-
toritate destituitur eâ facilitate etiam rejicitur quâ dicitur. Et
cum Sancti non sint Mediatores Redemptionis nec intercessionis esse
poterunt, ratio est, quia Scriptura *Hebr. 5. 7. & 9.* duo hæc ἀδελφω-
τίνως conjuncta esse testatur, ut à se invicem divellenda sint nulla-
tenus. Quippe Christus ipse *Ioh. 14. v. 6.* non solum mediationem
redemptionis, sed & intercessionis sibi tribuit, quando dicit: *Nemo*
venit ad Patrem nisi per me. 3. διακρίσις inter λατρίαν δαίμων & ὑπε-
δουλίαν nã ipsa absurditate magis est absurda, præterquam enim
quod Scriptura illam prorsus ignoret, & non solum λατρίαν sed
& δαίμων Deo tribuat, ac pro divini numinis cultu agnoscat *Matth.*
6. v. 24. Lucæ. 16. v. 13. non potestis Deo δαίμων & Mammonæ. & Paulus
cultum à se in ministerio suo & in tota vita ab aliis piis Deo exhi-
bitum commendat per verbū δαίμων *Act. 20. v. 19. Rom. 14. v. 18.*
& *16. v. 18. Galat. 4. v. 9. Coloss. 3. v. 24. 1. Thess. 1. v. 9.* etiam elegantiores
Græci, inter quos Platonis & Plutarcho citra invidiam primas do-
ferunt, hanc distinctionem aded non agnoscunt, ut etiam de-
ceant majoris obsequii esse vocabulum δαίμων quam λατρίαν; &
Laurentius Valla criticus linguarum solertissimus inquit idem
esse δαίμων & λατρίαν, ut refert *Vives in lib. 10. c. 1. August. de civit. Dei.*
In 2. quæstione ut verū ἑνέμενον cognoscatur, ἀφείριστι τὸν μὲν ἑνέ-
μενον cum nonnulla utilitate præmitti posse visa est. Non igitur
quæritur an homo in statu integritatis δυνάμεις mentis, voluntatis
& cordis ita habuerit integras, ut spiritualia propriis viribus eli-
gere & amplecti potuerit. Neque etiam disceptatur de statu glo-
rificationis: cum enim in illo homo in integrum sit restituendus
& 19

& totus sapientia sanctificandus, spirituales ejusmodi actionem
in ipso futuram esse vel simplicissimi Christianorum non dubita-
bunt. Neq; de hominis jam lapsi actionibus externis, iisq; aut
Physicis, quas cum cæteris animantibus communes habet, aut Lo-
gicis, quæ absq; ratione fieri nequeunt, quæstio est: in illis enim
προαιεσιον esse ἐλευθεριαν nemo facile inficias iverit. Sed de potentia
mentis & voluntatis in rebus merè spiritualibus, quales sunt in-
textu Exangelii spiritualis vigilantia & vera ad Deum oratio, quæ-
ritur? Per spiritualia autem intelligimus, ne quis hoc ignoret,
non ipsas animæ actiones naturales quas sine incommodo etiam
spirituales dixeris, quatenus ab anima, quæ spiritualis est essentia,
proficiscuntur. Neq; intelligimus media tantum ad spirituale ob-
jectum ducentia, ut audire & legere verbum Dei &c. sed illa quæ
legis & Evangelii usu & spirituali intellectu constant, ubi utrumq;
& objectum & medium amplectens est spirituale. Hoc itaq; ve-
rum κερήμενον est, an homo in spiritualibus Spiritui S. cooperetur,
an verò tantum sese habeat παθητικῶς? Ad debitam hujus quæstio-
nis decisionem necessariò nobis distingvendum est inter regene-
ratum & irregeneratum. Regeneratum & credentem ενεργητικῶς
sese habere & Spiritui sancto cooperari, non est cur dubitemus, ita
tamen ut vires, à quibus actiones illæ proficiscuntur, non natu-
rales sed adventitias & à Spiritu sancto collatas esse statuamus. Ir-
regeneratum autem in merè spiritualibus fidem & æternam salutē
concernentibus si planè mortuum dixerimus non erraverimus,
nisi quis Scripturam errasse dicat *Ephes. 2. v. 1. & 5.* Mens ejus cæca
est & rerum divinarum prorsus ignara plena ignorantia & insci-
tia, quia λογικὸς ἀνθρώπος non percipit ea, quæ Spiritus Dei sunt, nec potest
intelligere. 1. *Cor. 2. v. 14.* Ex quibus re aliquantulum considerata
constat, qd non modò omnis pfectio divinæ cognitionis homini
animali, verum etiam ipsa γνώσις & τὸ δυνάμειν sive facultas & vis
percipiendi denegetur. Et hoc nomine Scripturam hominem natu-
ralem in rebus divinis tenebras vocare *Ioh. 1. v. 5. & ματαλητὰ ἦν ὁ οὐδὲ Ephes.*
4. v. 17. ipsi assignare scimus. Voluntas & totū illud ενεργητικὸν δυνα-
τικὸν & ἐπιθυμητικὸν omni promptitudine ad interiores motus destituitur
2. Cor. 3. v. 5. & adeo corrupta est, ut nihil aliud quàm peccare *Genes. 8.*
v. 21. Deo & Spiritui ejus relictati *Psal. 57. v. 5. Exod. 10. v. 3. vanitatem*
diligere & mendacium querere possit Psal. 3. v. 3. Omne ἔργον ἡμεῶν
cogi-

*cogitationum cordis tantummodo malum est omnibus diebus Gen. 6. v. 5. Etia
 illa cogitationes quæ maximâ diligentia & summâ sapientiâ ef-
 finguntur, malæ sunt, uti Lutherus Emphasin vocis eleganter ex-
 pressit Jerem. 17. v. 9. *ἄπυ* pravum (rectitudine illa in qua erat
 creatum privatum) & *ἄν* miserum (desperata curationis) est
 cor hominis. Affectus *ἀτακτος* & inimicitia sunt adversum Deum Rom. 8.
 v. 7. Ad summam omne caput egrum & omne cor infirmum à planta pe-
 dis usq; ad verticem non est in homine sanitas sed vulnus & livor & plaga re-
 tens Esa. 1. v. 5. 6. Hinc Apostolus Rom. 3. integram hominis *πορρω-
 πορευθῆναι* rectissime persequitur : 1. de mente, quod non sit in-
 telligens, 2. de voluntate, quod nemo sit qui exquirat, 3. de vani-
 tate & infirmitate omnium virium, 4. de morbo omnium membrorum.
 Quæ quid de certamine inter Victorinum Strigelium & Mat-
 thiam Flacium Illyricum sentiamus, neminem ambigere patien-
 tur. Strigelius etsi verè contra Pontificios docuerit, hominem
ἄπυ mente Deum ejusque voluntatem non satis intelligere, &
 voluntati legique divinæ plenam obœdientiam præstare non pos-
 se; in eo tamen hallucinatus fuit, quod tantum virium naturalium
 ipsi ante conversionem superesse contenderit, ut aliquo modo sese
 ad gratiam Dei applicare & vocanti Deo assentiri possit, licet lan-
 guidè. Flacius contra verissimè ex Scripturis evicit, hominem ni-
 merè spiritualibus ad bonum non esse causam *ὄντως*, sed *ἄπυ*
ἄν merè *παθητικὸς*; verum in eo graviter lapsus fuit, quod docuerit
 non SANITATEM VOLUNTATIS, sed etiam NATURAM EIUS-
 DEM PERIISSE; confudit siquidem hoc modo substantiam men-
 tis & voluntatis earundemque essentielles proprietates cum vi-
 ribus.*

Ad 3. sic arguitur: Videtur Bellarmino & reliquis Romanen-
 sibus dignitatem meritis operum tribuentibus 1. v. 36. ubi de mor-
 tibus dignitas consistendi ante Filium hominis prædicatur 2. Luca 10. vers. 7.
 Dignus est operarius mercede sua. 3. Sap. 3. v. 5. Deus tentavit eos & in-
 venit eos dignos se, & in aliis locis plurib. Scriptura assentiri. Verum
 illorum explicationem quæsitam potius esse quam à Scripturis
 oblatam, vel inde constar, quod *minores simus cunctis miserationibus
 Dei Gen. 32. v. 10. & cum omnia fecerimus, dicendum nobis sit, nos esse servos
 inutiles Luca 17. v. 10. & orandum ne Dominus intret nobiscum in iudicium,
 Ps. 143. v. 2. & quod nulla sit proportio nostrorum operum, quæ sunt finita &
 imper-*

*imperfecta ad vitam æternam, quæ est bonum infinitum & summè perfe-
 ctum Rom. 8. v. 13. 2. Corinth. 4. v. 17. Locis pro Pontificiis adductis
 facile responsum dabimus modò observemus vocabulum Dignè-
 tatis sumi dupliciter 1. Legaliter. 2. Evangelicè. Legaliter nemo
 prorsus dignus est coram Deo vitâ æternâ. Quin Hex omnes ho-
 mines non præstantes sibi perfectissimam obedientiam accusat
 & damnat. Evangelicè pii dicuntur digni regno Dei, dignitate non
 activâ sed passivâ, non in hærente sed imputatâ, non meritoriâ
 sed gratuita. Respondemus igitur 1. ad v. 36. non loqui illum de
 dignitate meriti, sed de dignitate gratiæ piis precibus obtinendâ.
 2. ad illud Luca 10. v. 7. non agere dictum de mercede aut dignita-
 te vitæ cœlestis, sed victu quotidiano, uti ex verbis immediatè an-
 tecedentibus: *In eadem autem domo manete edentes & bibentes, quæ
 dantur ab illis.* liquidissimum est. Ad 3. Cum Sap. 3. v. 5. tractetur de
 dignitate gratiæ non meriti, quemadmodum id ex verbis sub-
 sequentibus in *ἰσχυροῦς* inspectis colligere est, quis inde Ponti-
 ficiorum somnia confirmari vel somnare possit? Quæ cum
 Clar. Dn. Præses tom. 4. Locor. Theol. pag. 325. 326. 327. 328. 329. ex-
 actius disputaverit & confirmaverit, non est animus diutius illis
 inhærere. Atque ita, quod institueramus, absolvimus.*

Christo
 Duce & auspice
 Christo.



E

AD

Ad Dn. Respondentem.

Sub celebri causam duce propugnasse celebrem,
Ingens militibus dixeris esse decus.
Dixero majus agis Magno sub Preside nuper
Conspecta in publico praelia quando subis.
Cautus agis; latebris eductus ad ardua cæcis,
Qui censuram hominum non fugit, ille placet.
Non fugis, hinc nobis quem JULIA misit, eundem
Mittet majori laude SALANA domum
Disseris in Sacris, bene disere, disseris aptè
Si proprio proprias ore tuere theses.

ANTONIUS VARUS Med.
D. & Prof. p. t. Rector.



CA

Ad

Ad Prestantissimum

Dn. RESPONDENTEM

TEquoq; FABRICI movet entheus ardor,
in hostes
Ut Calvinij sequas, Papicolasq; ruas!
Ob pugnas acres & fortia praelia gesta
Fabricium celebrat Roma vetusta suum.
Tu violatores sacrorum vindice dextrâ
Oppugnans quantâ laude vehendus eris!
STATIUS es, persta, hîc in terris docta tiara
Cinget, at in cælis sancta corona caput.

JOH. GERHARD. D.



ΣΤ'Ν ΧΡΙΣΤΩ

ANTITHESES

APOLOGETICÆ,

D. CHRISTOPHORI PELARGI
PROFESSORIS IN ACADEMIA MAR-
CHICA, PASTORIS ET SUPERATTEN-
dentis Gener. Senioris & DECANI facul-

tatis Theologicæ,

Opposita

Thesibus censoris vel Examini

FRIDERICI BALDUINI D.

Professoris Vuitenbergici, &c.

De quibus, quantum ad realia,

adjutu DEI

Pro LICENTIA consequendi supremum

in Theologicis gradum,

respondebunt Viri & Professores CL.

In locis, de DEO, de PECCATO, de DESERTIONE,

& PRÆDESTINATIONE

Dn. M. GREGORIVS FRANCVS

Græcæ linguæ Profess. publ. pro tempore

Academiæ RECTOR.

In locis de PRÆDESTINATIONE, de PERSONA CHRISTI,

BAPTISMO & S. COENA;

Dn. M. IOHANNES BERGIUS

S. Theol. Profess. publ. ordin.

ad d. XXVII. Martij

anno M. DC. XVII.

Prostat apud JOHANNEM THYMIUM.

